

SABBATO.

De Danièle Propheta.

Lectio j.

IN anno primo Darii filii Assueri de semine Medorum, qui imperavit super regnum Chaldaeorum: Anno uno regni ejus, ego Daniel intellexi in libris numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam prophetam, ut complerentur desolationis Jerusalem septuaginta anni. Et posui faciem meam ad Dominum Deum meum rogare & deprecari in jejuniis, sacco, & cinere. Et oravi Dominum Deum meum, & confessus sum, & dixi: Obsecro Domine Deus magne & terribilis, custodiens pactum, & misericordiam diligentiū tuam, & custodiens mandata tua. Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & recessimus, & declinavimus a mandatis tuis, ac iudicis.

R. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israel. **V.** Beata gens, cuius est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. Quem.

Lectio ij.

ADhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriël, quem videram in visione a principio, cito volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini. Et docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel nunc egressus sum ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: ego autem veni ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem. Septuaginta hebdomades abbreviate sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consummaretur pravericatio, & finem accipiat peccatum, &

deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impletur visio, & prophetia, & ungetur Sanctus sanctorum.

R. Angustiae mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. Melius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius.

Lectio iij.

SCito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duae erunt: & rursum aedificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus: & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.

R. Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: * Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Gloria Patri. Et non.

Ad Magnificat, Antiphona.

Qui caelorum continet thronum, & abyssos intueris, Domine Rex regum, montes ponderas, terram palmo concludis: exaudi nos Domine in gemitibus nostris.

DO-

DOMINICA IV.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit liber Osée Prophetae.

Lectio j.

Verbum Domini, quod factum est ad Osée filium Beeri, in diebus Oziae, Joathan, Achaz, Ezechiae regum Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israel. Principium loquendi Domino in Osée: & dixit Dominus ad Osée: Vade, sume tibi uxorem fornicatorium, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra ad Dominum. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelaim: & concepit, & peperit ei filium.

R. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra maiestate ejus: * Et ea quae sub ipso erant, replerant templum. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alae uni, & sex alae alteri. Et. **Lectio ij.**

ET dixit Dominus ad eum: Voca nomen ejus Jezrahel, quoniam adhuc modicum, & visitabo sanguinem Jezrahel super domum Jehu, & quiescere faciam regnum domus Israel. Et in illa die conteram arcum Israel in valle Jezrahel. Et concepit adhuc, & peperit filiam. Et dixit ei: Voca nomen ejus Absque misericordia: quia non addam ultra misereri domui Israel, sed oblivio obliviscar eorum. Et domui Juda miserabor, & salvabo eos in Domino Deo suo: & non salvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis, & in equitibus.

R. Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi. * Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israel intendit, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

ET ablactavit eam, quae erat absque misericordia. Et concepit, & peperit filium. Et dixit: Voca nomen ejus: Non populus meus: quia vos non populus meus, & ego non ero vester. Et erit numerus filiorum Israel quasi arena maris, quae sine mensura est, & non numerabitur. Et erit in loco ubi dicitur eis: Non populus meus vos: dicetur eis: Filii Dei viventis. Et congregabuntur filii Juda, & filii Israel pariter: & ponent sibi met caput unum, & ascendent de terra: quia magnus dies Jezrahel. **R.** Aspice Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina gentium: * Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus nostrer. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymae ejus in maxillis ejus. Non est. Gloria Patri. Non est.

In secundo Nocturno.

Ex libro Sancti Augustini Episcopi de Civitate Dei.

Lectio iv.

Lib. 18. cap. 28.

Osée Propheta, quanto profundius quidem loquitur, tanto operosius penetratur. Sed aliquid inde sumendum est, & hic ex nostra promissione ponendum. Et erit, inquit, in loco quo dictum est eis: Non populus meus vos: vocabuntur & ipsi filii Dei vivi. Hoc testimonium propheticum de vocatione populi Gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, etiam Apostoli intellexerunt.

R. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: * Totā die & nocte non tacetis laudare nomen Domini. **V.** Praedicabunt populus fortitudinem meam, & annuntiabunt Gentibus gloriam meam. Totā.

Lectio v.

ET quia ipse quocumque populus Gentium spiritaliter est in filiis Abrahae; ac per hoc recte dicitur

Y 4

15-

& sollicitum ambulare cum Deo tuo. **V.** Spera in Domino, & fac bonitatem, & inhabitam terram. Facere.

Lectio ij.

Verum quid mihi & vobis Tyrus, & Sidon, & omnis terminus Palesthinorum? numquid ultionem vos reddetis mihi? & si ulciscimini vos contra me, cito velociter reddam vicissitudinem vobis super caput vestrum. Argentum enim meum, & aurum tulistis: & desiderabilia mea, & pulcherrima intulistis in delubra vestra. Et filios Juda, & filios Jerusalem vendidistis filiis Græcorum, ut longe facerētis eos de finibus suis. Ecce ego suscitabo eos de loco, in quo vendidistis eos: & convertam retributionem vestram in caput vestrum.

R. Angustia mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. **M.** Melius est mihi incidere in manus hominum, quam delinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, mors effugiam manus vestras. Melius.

Lectio iij.

ET vendam filios vestros, & filias vestras in manibus filiorum Juda, & venundabunt eos Sabæis genti longinque, quia Dominus locutus est. Clamate hoc in Gentiibus, sanctificate bellum, suscite robustos: accedant, ascendant omnes viri bellatores. Concidite aratra vestra in gladios, & ligones vestros in lanceas. Infirmus dicat: Quia fortis ego sum. Erumpite, & venite omnes Gentes de circuitu, & congregamini: ibi occumbere faciet Dominus robustos tuos. Consurgant, & ascendant Gentes in vallem Josaphat: quia ibi sedebat iudicem omnes Gentes in circuitu.

R. Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: & non contaminaverunt: quia coram eo iniustitia inventa non est in me.

V. Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA QUINTA.

Incipit Amos Propheta.

Lectio j. Cap. i.

Verba Amos, qui fuit in pastoribus de Thécue: quæ vidit super Israël in diebus Ozia regis Juda, & in diebus Jeroboam filii Joas regis Israël ante duos annos terramótus. Et dixit: Dominus de Sion rugiet, & de Jerusalem dabit vocem suam: & luxerunt speciosa pastorum, & exsiccatus est vertex Carmeli.

R. Vidi Dominum sedentem super solum excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra majestate ejus. **M.** Et ea quæ sub ipso erant, replerant templum. **V.** Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Et ea quæ.

Lectio ij.

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum: eò quod triturerint in plaustris ferreis Galaad. Et mittam ignem in domum Azael, & devorabit domos Bénadad. Et conteram vectem Damasci: & disperdam habitatorem de campo idoli, & tenentem sceptrum de domo voluptatis: & transferetur populus Syriae Cyrenem, dicit Dominus.

R. Aspice Domine de sede sancta tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: **M.** Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israël intendit, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi.

Lectio iij.

Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum: eò quod transtulerint captivitatem perfectam, ut concluderent eam in Idumæa. Et mittam ignem in murum Ga-

Gazæ, & devorabit ædes ejus. Et disperdam habitatorem de Azoto, & tenentem sceptrum de Ascalone: & convertam manum meam super Accaron, & peribunt reliqui Philistinorum, dicit Dominus Deus.

R. Aspice Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina Gentium: **M.** Non est qui consolatur eam, nisi tu Deus noster. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

FERIA SEXTA.

Incipit Abdias Propheta.

Lectio j. Cap. i.

Visio Abdia. Hæc dicit Dominus Deus ad Edom: Audium audivimus a Domino, & legatum ad Gentes misit: Surgite, & consurgamus adversus eum in prælium. Ecce parvulum dedi te in Gentiibus: contemptibilis tu es valde. Superbia cordis tui extulit te, habitantem in scissuris petrarum, exaltantem solum tuum: qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posteris nidum tuum: inde detraham te, dicit Dominus.

R. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: **M.** Totâ die & nocte non tacébunt laudare nomen Domini. **V.** Prædicabunt populis fortitudinem meam, & annuntiabunt Gentiibus gloriam meam. Totâ.

Lectio ij.

Si fures introissent ad te, si latrones per noctem, quomodo conticisses? nonne furati essent sufficienti sibi? si vindemiatores introissent ad te, numquid saltem racemum reliquissent tibi? Quomodo scrutati sunt Esau, investigaverunt abscondita ejus? Usque ad terminum emiserunt te: omnes viri fides tui illusérunt tibi: inyaluerunt

adversum te viri pacis tue: qui comedunt tecum, ponent insidias subter te: non est prudentia in eo.

R. Muro tuo inexpugnabile circumcinge nos Domine, & armis tuae potentia protege nos semper: **M.** Libera Domine Deus Israël clamantes ad te. **V.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo. Libera.

Lectio iij.

Numquid non in die illa, dicit Dominus, perdam sapientes de Idumæa, & prudentiam de monte Esau? Et timebunt fortes tui à Meridie, ut intreat vir de monte Esau. Propter interfecionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Jacob, operiet te confusio, & peribis in æternum. In die cum staret adversus eum, quando capiebant alieni exercitum ejus, & extranei ingrediebantur portas ejus, & super Jerusalem mittebant sortem: tu quæ eras quasi unus ex eis.

R. Sustinimus pacem, & non veniit: quæsisimus bona, & ecce turbatio: cognovimus peccata nostra: **M.** Non in perpétuum obliviscaris nos. **V.** Peccavimus, implegissimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem justitiam tuam. Non est. Glória Patri. Non.

SABBATO.

Incipit Jonas Propheta.

Lectio j. Cap. i.

Et factum est verbum Domini ad Jonam filium Amathi, dicens: Surge, & vade in Niniven civitatem grandem, & prædica in ea: quia ascendit malitia ejus coram me. Et surrexit Jonas, et fugerit in Tharsis à facie Domini, & descendit in Joppen, & invenit navem eentem in Tharsis: & dedit naulum ejus, & descendit in eam ut iret cum eis in Tharsis à facie Domini. Dominus autem misit ventum magnum in mare: & facta est tem-

pēstas magna in mari, & navis periclitabatur cōteri.

R. Laudabilis pōpulus. • **Q**uem Dōminus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hereditas mea Israël. **Y.** Beata gens, cuius est Dōminus Deus, pōpulus electus in hereditatem. Quem.

Lectio ij.

ET timuerunt nauæ, & clamaverunt viri ad deum suum: & miserunt vasa, quæ erant in navi, in mare, ut alleviaretur ab eis: & Jōnas descendit ad interiōra navis, & dormiebat sopore gravi. Et accessit ad eum gubernator, & dixit ei: Quid tu sopore deprimeris? surge, invooca Deum tuum, si forte recogitet Deus de nobis, & non pereamus. Et dixit vir ad colligam suum: Venite, & miramur sortes, & sciamus quare hoc malum sit nobis. Et miserunt sortes: & cecidit sors super Jōnam.

R. Angustia mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. • **M**elius est mihi incidere in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. **Y.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius est.

Lectio iij.

ET dixerunt ad eum: Indica nobis cuius causa malum istud sit nobis: quod est opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis? vel ex quo pōpulo es tu? Et dixit ad eos: Hebraeus ego sum, & Dōminus Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam. Et timuerunt viri timore magno, & dixerunt ad eum: Quid hoc fecisti? (Cognoverunt enim viri quod à facie Dōmini fugerent, quia indicaverat eis.) Et dixerunt ad eum: Quid faciemus tibi, & cessabit mare à nobis? quia mare ibat, & intumescbat. Et dixit ad eos: Tollite me, & mittite in mare, & cessabit mare à vobis: scio enim ego

quoniam propter me tempestas hæc grandis venit super vos.

R. Misit Dōminus Angelum suum, & conclusit ora leonum: • Et non contaminaverunt: quia coram eo iniustitia inventa non est in me. **Y.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Glória Patri. Et non.

SABBATO

Ante Dominicam v. Novembris.

Ad Magnificat, Antiphona.

Super muros tuos Jerusalem consti-
tui custodes: tota die & nocte non
tacebit laudare nomen Dōmini.

DOMINICA V.

Novembris.

In primo Nocturno.

Incipit Michæas Propheta.

Lectio j. Cap. i.

Verbum Domini, quod factum est ad Michæam Morasthiten, in diebus Jōathan, Achaz, & Ezechia regum Juda: quod vidit super Samariam, & Jerusalem. Audite pōpuli omnes, & attendat terra, & plenitudo ejus: & sit Dōminus Deus vobis in testem, Dōminus de templo sancto suo. Quia ecce Dōminus egrediētur de loco suo: & descendet, & calcabit super excelsa terræ.

R. Vidi Dōminum sedentem super solum excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra maiestatis ejus: • Et ea quæ sub ipso erant, replēbant templum. **Y.** Seraphim stabant super illud: sex alæ uni, & sex alæ alteri. Et.

Lectio ij.

Et consumētur montes subtus eum: & valles scindentur sicut cera à facie ignis, & sicut aquæ, quæ decurrunt in præcepis. In scelere Jacob omne istud, & in peccatis domus Israël. Quod scelus Jacob? nonne Samaria? & quæ excelsa Judæ? nonne Jerusalem? & ponam Samariam qua-

si acervum lapidum in agro cum plantatur vinea: & detrahā in vallem lapides ejus, & fundamenta ejus revelabo.

R. Aspice Dōmine de sede sancta tua, & cōgita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: • Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **Y.** Qui regis Israël intēde, qui dedecis velut ovem Joseph. Aperi oculos.

Lectio iij.

Et omnia sculptilia ejus concidentur, & omnes mercedēs ejus comburentur igne, & omnia idola ejus ponam in perditionem: quia de mercedibus meretricis congregata sunt, & usque ad mercedem meretricis revertentur. Super hoc plangam, & ululabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum quasi struthionum. Quia desperata est plaga ejus, quia venit usque ad Judam, tēgit portam pōpuli mei usque ad Jerusalem.

R. Aspice Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia dōmina gentium: • Non est qui consoletur eam, nisi tu Deus noster. **Y.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymæ ejus in maxillis ejus. Non est. Glória Patri. Non.

In secundo Nocturno.

De Sermōne Sancti Basilii Magni in Psalmum trigesimum tertium.

Lectio iv.

Cum te appetitus invaserit peccandi, velim cōgites horribile illud & intolerabile Christi tribulatio, in quo prasidēbit judex in alto & excelsio throno: astabit autem omnis creatūra ad gloriōsum illius conspectum contremiscens. Adducēdi etiam nos sumus singuli, eorum, quæ in vita gesserimus, rationem reddituri. Mox illis, qui multa mala in vita perpetrarint, terribiles quidam & deformes assistant angeli,

igneos vultus præ se ferentes, atque ignem spirantes: eā re propōiti & voluntatis acerbitate ostendentes, nocti vultu similes, propter merorem & odium in humanum genus.

R. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: • Tota die & nocte non tacebit laudare nomen Dōmini. **Y.** Prædicabunt pōpulus fortitudinem meam, & annuntiabunt Gēntibus gloriā meam. Tota die.

Lectio v.

Ad hæc cōgites profundum barathrum, inextricabiles tenebras, ignem carēntem splendore, urēdi quidem vim habentem, sed privatum lumine: deinde vermium genus venenum immittens, & carne venans, inexplebiliter edens, neque unquam saturitatem sentiens, intolerabiles dolores corrosione ipsa inficiens. Postremò, quod suppliciorum omnium gravissimum est, opprobrium illud & confusioem sempiternam. Hæc time, & hoc timore corripitur, animam à peccatorum concupiscentia tamquam freno quodam reprime.

R. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Dōmine, & armis tuæ potentiae protege nos semper: • Libera Dōmine Deus Israel clamantes ad te. **Y.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriā nomini tuo. Libera.

Lectio vj.

Hunc timorem Dōmini se docētum Propheta promissit: docere autem non simpliciter promissit, sed eos qui eum audire voluerint: non eos qui longius prolapsi sunt, sed qui salutem appetentes accurrunt: non alienos à promissionibus, sed ex baptisate filiorum adoptionis, verbo ipsi conciliatos atque conjunctos. Propterea, Venite, inquit, hoc est, per bona opera accēdite ad me filii, quippe qui per regenerationem filii lucis effici digni fac-

ti estis: audite, qui aures cordis habetis apertas; timorem Domini docebo vos: illum scilicet, quem paulo ante oratione nostrâ descripsimus.

R. Sustinuimus pacem, & non venit, quasivimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Dómine peccata nostra: * Non in perpetuum obliviscaris nos. **V.** Peccavimus, imple gessimus, iniquitatem fecimus Dómine in omnem justitiam tuam. Non. Glória Patri. Non.

R. vij. Laudabilis pópulus, * Quem Dóminus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tu es, hæreditas mea Israël. **V.** Beata gens, cujus est Dóminus Deus, pópulus electus in hereditatem. Quem.

R. viij. Duo Séraphim clamabant alter ad alterum: * Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dóminus Deus Sabaotih: * Plena est omnis terra glóriâ ejus. **V.** Tres sunt qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi tres unum sunt. Sanctus. Glória Patri. Plena est.

FERIA SECUNDA.

Incipit Nahum Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

O Nus Ninive: Liber visionis Nahum Elcesæi. Deus amulátor, & ulciscens Dóminus: ulciscens Dóminus, & habens furorem: ulciscens Dóminus in hostes suos, & irascens ipse inimicis suis. Dóminus patiens, & magnus fortitudinem, & mundans non faciet innocéntem. Dóminus in tempestate, & turbine viæ ejus, & nébulæ pulvis pedum ejus. Increpans mare, & exsiccans illud: & omnia flumina ad désertum deducens.

R. Redemít pópulum suum, & liberávit eum: & veniét, & exultábunt in monte Sion: & gaudébut de bonis Dómini super frumento, vino, & oleo: * Et ultra non esurient. **V.** Eritque

ánima eórum quasi hortus irriguus, Et.

Lectio ij.

I Nfirmatus est Basan, & Carmélus: & flos Libani elánguit. Montes commóti sunt ab eo, & colles desolati sunt: & contrémuit terra á facie ejus, & orbis, & omnes habitantes in eo. Ante faciem indignationis ejus quis stabit? & quis resistet in ira furoris ejus? indignatio ejus effusa est ut ignis: & petre dissoluta sunt ab eo. **R.** Angústie mihi sunt undique, & quid éligam ignoro. * Melius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei, **V.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Melius est.

Lectio iij.

B Onus Dóminus, & confortans in die tribulationis: & sciens sperantes in se. Et in diluvio prætereunte, & consumptionem faciet loci ejus: & inimicos ejus persequéntur tenebræ. Quid cogitatis contra Dóminum? consumptionem ipse fáciat: non consurget duplex tribulatio. Quia sicut spinæ se invicem complectúntur, sic convivium eórum páriter potántium: consuméntur quasi stipula ariditate plena.

R. Misit Dóminus Angelum suum, & conclusit ora leónum: * Et non contamináverunt: quia coram eo injustitia invénta non est in eo. **V.** Misit Deus misericórdiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de médio catulórum leónum. Et non. Glória Patri. Et non.

FERIA TERTIA.

Incipit Hábacuc Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

O Nus, quod vidit Hábacuc Prophéta. Usquequó Dómine clamábo, & non exáudies? vociferábor ad te vim patiens, & non salvábis? Quare ostendisti mihi iniquitatem, & labórem, vidére prædam, &

& injustitiam contra me? & factum est judicium, & contradictio poténtior. Propter hoc lacerata est lex, & non pervénit usque ad finem judicium: quia impius prævalet adversus justum, propterea egréditur judicium perversum.

R. A facie furoris tui Deus, contrurbata est omnis terra: * Sed miserere Dómine, & ne facias consummationem. **V.** Dómine Dóminus noster, quàm admirabile est nomen tuum! Sed miserere.

Lectio ij.

A spicite in Géntibus, & vidéte: admirámini, & obstupésceite: quia opus factum est in diebus vestris, quod nemo credit eúm narrábitur. Quia ecce ego suscítábo Chaldaeos, gentem amáram, & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, ut possideat tabernacula non sua. Horribilis, & terribilis est: ex semetipsa judicium, & onus ejus egrédiétur.

R. Civitatem istam tu circumda Dómine: & Angeli tui custódiat muros ejus: * Exáudi Dómine pópulum tuum cum misericórdia. **V.** Avertatur furor tuus, Dómine, á pópulo tuo, & á civitate sancta tua. Exaudi.

Lectio iij.

L Evióres pardis equi ejus, & venioclóres lupis vespertinis; & diffundéntur équites ejus: équites namque ejus de longè veniént, volábunt quasi áquila festinans ad comedéndum. Omnes ad prædam veniént, facies eórum ventus urens: & congregábit quasi arenam, captivitatem. Et ipse de régibus triumphábit, & tyránni ridiculi ejus erunt: ipse super omnem nationem ridébit, & comportábit ággerem, & capiet eam.

R. Genti peccatrici, pópulo pleno peccato miserere, * Dómine Deus. **V.** Esto placabilis super nequitiam

pópuli tui. Dómine Deus. Glória Patri. Dómine Deus.

FERIA QUARTA.

Incipit Sophonias Prophéta.

Lectio j. *Cap. 1.*

V Erbum Dómini, quod factum est ad Sophoniam filium Chusi, filii Godolia, filii Amariae, filii Ezechie, in diebus Josie filii Amón regis Judæ. Cóngregans congregábo omnia á facie terræ, dicit Dóminus: cóngregans hóminem, & pecus, cóngregans volatilia cæli, & pisces maris: & ruina impiórum erunt: & disperdam hómines á facie terræ, dicit Dóminus.

R. Indicábo tibi homo, quid sit bonum: aut quid Dóminus requírat á te: * Facere judicium & justitiam, & sollicitum ambuláre cum Deo tuo. **V.** Spera in Dómino, & fac bonitatem, & inhábita terram. Facere.

Lectio ij.

ET exténdam manum meam super Judam, & super omnes habitantes Jerúsalem: & disperdam de loco hoc reliquias Baal, & nómína ædituórum cum sacerdotibus: & eos, qui adorant super tecta militiam cæli, & adorant, & jurant in Dómino, & jurant in Melchom. Et qui avertunt de post tergum Dómini, & qui non quasiérunt Dóminum, nec investigáverunt eum.

R. Angústie mihi sunt undique, & quid éligam ignoro. * Melius est mihi incidere in manus hóminum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras. Melius.

Lectio iij.

S illete á facie Dómini Dei: quia juxta est dies Dómini, quia præparávit Dóminus hostiam, sanctificávit vocatos suos. Et erit: in die hostie Dómini visitábo super principes, & super filios regis, & super om-

omnes; qui induti sunt veste peregrina: & visitabo super omnem, qui arroganter ingreditur super linnen in die illa: qui complent domum Domini Dei sui iniquitate, & dolo.

R. Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: * Et non contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Gloria Patri. Et non.

FERIA QUINTA.

Incipit Aggaeus Propheta.

Lectio j.

IN anno secundo Darii regis, in mense sexto, in die una mensis, factum est verbum Domini in manu Aggaei Prophetae ad Zorobabel filium Salathiel, ducem Juda, & ad Jesum, filium Josedece, sacerdotem magnum, dicens: Hec ait Dominus exercituum, dicens: Populus iste dicit: Nondum venit tempus domus Domini edificanda.

R. Vidi Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum: & plena erat omnis terra maiestate ejus. **•** Et ea que sub ipso erant, replabant super illud: sex alae uni, & sex alae alteri. Et ea que.

Lectio ij.

ET factum est verbum Domini in manu Aggaei Prophetae, dicens: Numquid tempus vobis est ut habitetis in domibus laqueatis, & domus ista deserta? Et nunc haec dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras. Seminastis multum, & intulistis parvum: comedistis, & non estis satiati: bibistis, & non estis inebriati: operuistis vos, & non estis calefacti: & qui mercedem congregavit, misit eas in sacculum pertisum.

R. Aspice Domine de sede sancta

tua, & cogita de nobis: inclina Deus meus aurem tuam, & audi: * Aperi oculos tuos, & vide tribulationem nostram. **V.** Qui regis Israel intende, qui deducis velut ovem Joseph. Aperi oculos.

Lectio iij.

HAE dicit Dominus exercituum: Ponite corda vestra super vias vestras: ascendite in montem, portate ligna, & aedificate domum: & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus. Respexistis ad amplius, & ecce factum est minus: & intulistis in domum, & exussilavi illud: quam ob causam, dicit Dominus exercituum? quia domus mea deserta est, & vos festinatis unusquisque in domum suam. Propter hoc super vos prohibiti sunt coeli non darent rorem, & terra prohibita est non daret germen suum.

R. Aspice Domine, quia facta est desolata civitas plena divitiis, sedet in tristitia domina Gentium: * Non est qui consolatur eam, nisi tu Deus noster. **V.** Plorans ploravit in nocte, & lacrymae ejus in maxillis ejus. Non est. Gloria Patri. Non.

FERIA SEXTA.

Incipit Zacharias Propheta.

Lectio j.

IN mense octavo in anno secundo Darii regis, factum est verbum Domini ad Zachariam, filium Barachiae filii Addo, prophetam, dicens: Iratus est Dominus super patres vestros iracundia. Et dices ad eos: Hec dicit Dominus exercituum: Convertimini ad me, ait Dominus exercituum: & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum.

R. Super muros tuos Jerusalem constitui custodes: * Toti die & nocte non tacebunt laudare nomen Domini. **V.** Praedicabunt populus fortitudinem meam, & annuntiantur Gentibus gloriam meam. Toti.

Lec-

Lectio ij.

NE sitis sicut patres vestri, ad quos clamabant Prophetae priores, dicens: Hec dicit Dominus exercituum: Convertimini de viis vestris malis, & de cogitationibus vestris pessimis: & non audierunt, neque attenderunt ad me, dicit Dominus. Patres vestri ubi sunt? Prophetae numquid in sempiternum vivunt?

R. Muro tuo inexpugnabili circumcinge nos Domine, & armis tuae potentiae protege nos semper: * Libera Domine Deus Israel clamantes ad te. **V.** Erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo. Libera Domine.

Lectio iij.

VERUMTAMEN verba mea, & legitima mea, quae mandavi servis meis Prophetae, numquid non comprehenderunt patres vestros, & conversi sunt, & dixerunt: Sicut cogitavit Dominus exercituum facere nobis secundum vias nostras, & secundum adinventiones nostras fecit nobis?

R. Sustinimus pacem, & non venit: quae vivimus bona, & ecce turbatio: cognovimus Domine peccata nostra: * Non in perpetuum obliviscaris nos. **V.** Peccavimus, impie gessimus, iniquitatem fecimus Domine in omnem justitiam tuam. Non. Gloria Patri. Non.

SABBATO.

Incipit Malachias Propheta.

Lectio j.

ONUS verbi Domini ad Israel in manu Malachiae. Dilixi vos, dicit Dominus, & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Jacob, dicit Dominus, & dilexi Jacob, Esau autem odio habui? & posui montes ejus in solitudinem, & hereditatem ejus in dracones deserti. Quod si dixerit Idumaea: Destructi

Parti Aetiva.

sumus, sed revertentes aedificabimus quae destructa sunt: haec dicit Dominus exercituum: Isti aedificabunt, & ego destruam: & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus est Dominus usque in aeternum.

R. Laudabilis populus, * Quem Dominus exercituum benedixit, dicens: Opus manuum mearum tuum est, haereditas mea Israel. **V.** Beata gens, cuius est Dominus Deus, populus electus in hereditatem. Quem.

Lectio ij.

ET oculi vestri videbunt: & vos dicetis: Magnificetur Dominus super terminum Israel. Filius honorat patrem, & servus dominum suum: si ergo Pater ego sum, ubi est honor meus? & si Dominus ego sum, ubi est timor meus, dicit Dominus exercituum? ad vos, & sacerdotes, qui despicitis nomen meum, & dixistis: In quo despeximus nomen tuum? Offeritis super altare meum panem pollitum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Mensa Domini despecta est.

R. Angustia mihi sunt undique, & quid eligam ignoro. **•** Melius est mihi inciderem in manus hominum, quam derelinquere legem Dei mei. **V.** Si enim hoc egero, mors mihi est: si autem non egero, non effugiam manus vestras. Melius est.

Lectio iij.

SI offeratis caecum ad immolandum, nonne malum est? & si offeratis claudum, & languidum, nonne malum est? offer illud duci tuo, si placuerit ei, aut si susceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum. Et nunc deprecamini vultum Dei ut miseretur vestri (de manu enim vestra factum est hoc) si quomodo suscipiat facies vestras, dicit Dominus exercituum. Quis est in vobis, qui claudat ostia, & incendat altare meum gratuito? non est

Z

mi-

mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomen meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.

R. Misit Dominus Angelum suum, & conclusit ora leonum: • Et non

contaminaverunt: quia coram eo injustitia inventa non est in me. **V.** Misit Deus misericordiam suam, & veritatem suam: animam meam eripuit de medio catulorum leonum. Et non. Gloria Patri. Et non.

Ad Vesperas, Antiphona cum Psalm. de Psalterio. 108. Capitulum, Hymnus, V. Antiphona ad Magnificat, & Oratio ut in Sabbato ante Dominicam primam Adventus.

HOMILIE ET ORATIONES IN DOMINICIS

Per ordinem dispositæ, à tertia post Pentecosten usque ad Adventum.

DOMINICA III.

Post Pentecosten. Oratio.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum, multiplica super nos misericordiam tuam: ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æternam. Per Dominum nostrum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 15.

In illo tempore: Erant appropinquantes ad Jesum publicani, & peccatores, ut audirent illum. Et reliqua.

Homilia Sancti Gregorii Papæ. Homil. 34. in Evangelia, post initium.

Aldistis in lectione Evangelica, fratres mei, quia peccatores, & publicani accesserunt ad Redemptorem nostrum: & non solum ad colloquendum, sed etiam ad convescendum recepti sunt. Quod videntes Pharisei indignati sunt. Ex qua re colligite, quia vera

justitia compassionem habet, falsa justitia dedignationem: quamvis & justii soleant recte peccatoribus dedignari. Sed aliud est quod agitur typo superbiæ, aliud quod zelo discipline.

Lectio vij.

Dedignantes: desperant, sed non desperantes: persecutionem commovent, sed amantes: quia etsi foris increpationes per disciplinam exagerant, intus tamen dulcedinem per charitatem servant. Præponunt sibi in animo ipsos plerumque quos corrigunt: meliores existimant eos quoque quos judicant. Quod videlicet agentes, & per disciplinam subditos, & per humilitatem custodiunt semetipsos.

Lectio ix.

At contra, hi qui de falsa justitia superbiere solent, ceteros quosque despiciunt, nulla infirmantibus misericordia condescendunt: quò se peccatores esse non credunt, eò dete-

terius peccatores sunt. De quorum profecto numero Pharisei extiterant, qui judicantes Dominum quod peccatores susciperet, arænti corde ipsum fontem misericordie reprehendebant. Sed quia ægri erant, ita ut ægros se esse nescirent, quatenus quod erant agnoscerent, cœlestis eos medicus blandis fomentis curat, benignum paradigma obijcit, & in eorum corde vulneris tumorem premit. Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona.

Quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdidit unam ex illis, nonne dimittit nonagintanovem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inveniat eam? alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona.

Quæ mulier habens drachmas decem, & si perdidit drachnam unam, nonne accendit lucernam, & everrit domum, & querit diligenter donec inveniat?

DOMINICA IV.

Post Pentecosten. Oratio.

DA nobis, quæsumus Domine, ut & mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: & Ecclesia tua tranquillâ devotione lætetur. Per Dominum.

Lectio sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij. Cap. 5.

In illo tempore: Cum turbæ irrogarent in Jesum, ut audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et reliqua.

Homilia Sancti Ambrósii Episcopi. Lib. 4. in Luc. cap. 5. prope finem libri.

Ubi Dominus multis impartivit varia genera sanitatum, nec tempore, nec loco potuit ad studio sanandi turbæ cohiberi. Vesper incubat, sequebantur: stagnum occurrir, urgebant: & ideo ascendit in Petri navim. Hæc est illa navis, quæ ad-

huc secundum Matthæum fluctuat, secundum Lucam repletur piscibus: ut & principia Ecclesiæ fluctuantis, posteriora exuberanti agnoscat. Pisces enim sunt, qui hanc enavigant vitam. Ibi adhuc discipulus Christus dormit, hic præcipit: dormit enim trépids, perlectus vigilat.

Lectio vij.

Non turbatur hæc navis, in qua prudèntia navigat, abest perfidia, fides aspirat. Quemadmodum enim turbati poterat, cui præerat is, in quo Ecclesiæ firmamentum est? Illic ergo turbatio, ubi modica fides: hic securitas, ubi perfecta dilectio. Etsi aliis imperatur ut laxent rêtia sua, soli tamen Petro dicitur: Duc in altum; hoc est, in profundum disputationum. Quid enim tam altum, quam altitudinem divitiarum videre, scire Dei Filium, & professionem divinæ generationis assumere? Quam licet mens non queat humana plene rationis investigatione comprehendere, fidei tamen plenitudo complectitur.

Lectio ix.

Nam etsi non licet mihi scire quemadmodum natus sit: non licet tamen nescire quod natus sit. Seriem generationis ignoro: sed auctorem generationis agnosco. Non interituum cum ex Patre Dei Filius nasceretur: sed interituum cum à Patre Dei Filius diceretur. Si Deo non credimus, cui credemus? Omnia enim quæ credimus, vel visu credimus, vel auditu. Visus sæpe fallitur, auditus in fide est.

Te Deum laudamus. 12.

Ad Benedictus, Antiphona. Ascendens Jesus in navim, & sedens docebat turbas, alleluia.

Ad Magnificat, Antiphona. Præceptor, pro totam noctem laborantes nihil cœpimus, in verbo autem tuo laxabo rete.